

quam pro suo Monesterio supradicto. nec distinssisset (*sic*) in testamento predicto quam domum. cum plures domos haberet in barulo in sancte marie pictagio supradicto; Et Religiosi viri fratres Bartholomeus de taranto. et frater Iohannes Casalis ordinis fratrum Minorum Confessores dicte domine et distributores testamenti ipsius. qui etiam ipsius testamenti confectioni. cum ipsa domina assuerunt (*sic*) dicant et dixerunt intencionem et voluntatem predictae domine fuisse quod domus ipsa sicut predictur legata valeret anno quolibet uncias auri duas; nec sit vel fuisset inter predictas domos dicte qd. domine domus aliqua que duas uncias valeat annuatim. Set bene sunt due domuncule sive domus inter predictas domos que annuatim valeant uncias auri duas parum plus parum minus que sunt simul coniuncte. separate ab aliis domibus testatricis et matris qd. sue predictae. in pictagio sancte marie prope Ecclesiam ipsam. infrascriptis finibus circumdate. que domuncule dici possent etiam domus una et ita creditur quod predicta quondam testatrix eas domum unam voluerit appellare; Idem Landulfus volens predictae qd. matris sue Testamentum in hac parte execucioni mandare. et voluntati predictae qd. testatricis matris sue. quam pro lege servandam esse, ipsa lex iubet. ipsius quoque matris sue animo salutique pie et salubriter providere. predictas duas domunculas sive domos cum introytibus et exitibus suis usque in viam publicam et omni iure et actione predicto Landulfo spectanti vel spectaturo et nunc vel quocunque modo futuro aliquo tempore pertinente. domino Gualterio de sereno procuratori eiusdem abbatisse et Monesterii consentienti prius in nos tamquam in suos Iudicem et Notarium ex certa siencia cum sciret nos suos non esse. recipienti nomine et pro parte predictorum Abbatisse et Monesterii. dedit. assignavit. tradidit et donavit. tam . . . testamenti predicti; quam si forte in hac parte Testamentum predictum non valeret in aliquo vel in toto;